

Johann Quistorp

**Programma Rectoris Academici Johannis Quistorpii, D. Theolog. Past. I. & Prof.
P. Quo ad eundum Exequias Senatori Amplissimo B. Dn. Christiano von Thienen/
Viro Spectabili, d. VI. Aprilis Anno M.DC.LX. Omnes & omnium ordinum Literatos
... invitat**


Rostochii: Kilius, 1660


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777419874>

Druck Freier  Zugang



Quistorp, J.
in Chr. v. Thien
Güstrow 1660.





PROGRAMMA
RECTORIS ACADEMICI
JOHANNIS QVISTORPII,
D. ΘEOΛOΓ. Past. J. & Prof. P.

Quo
ad eundum

EXEQVIAS
SENATORI Amplissimo

B. DN. CHRISTIANO

von *Zhienen*!

VIRO SPECTABILI,

d. VI. Aprilis ANNO
M. DC. LX.

Omnes & omnium ordinum Li-
teratos, peramanter invitat.



ROSTOCHII

Typis Hæredum NICOLAI KILII, Academ.
Typographi.

35

CHRYSOSTOMUS Hom. 24.
ad Hebr.

Non exordia sola oportet habere clara, sed etiam & finem clariorum: Nonne enim gubernator, si pelagus totum pertranseat, circa portum autem confringat ratem, omnem perdidit anteriorem laborem?



RECTOR
JOHANNES QVISTORPIUS, D.

Verissimè *Job*, miles ille longè tum exercita-
tissimus, tum invictissimus, inquit: Vitam
mortalium nihil aliud esse, quàm perpetu-
am quandam militiam. Quamprimum n.
vivifici lavacri mysteriis initiati, Sathanæ
ejusq; operibus renunciavimus, nomenque
Duci nostro Christo dedimus, ecce! à dextra levaq; , à
fronte pariter atq; à tergo, per vigiles in exitium nostrum
excubant nequissimi Dæmones, ut nos vicissim Christo
ejusq; regno eripiant, ac bonis omnibus, & vitâ, quin &
spe omni felicitatis cœliq; adeundi exutos, in tartarum
præcipitent, & æternis cruciatibus affigant. In hac mi-
litia plurimi, quod dolendum maximè! quos Sathanas
mille nocēdi artibus instructus, vel in gentibus, ast eheu!
vanissimis promissis, ad defectionem sollicitat, vel rebus
adversis aliisq; modis ad desperationem adigit. succum-
bunt, & ad hostem, à quo semel precio sanguinis *Redem-*
ptoris redempti, perfidi desiscunt. Ad quos reversus Sa-
thanas assumit septem spiritus impuros, se nequiores, qui
securitate vel delictis patentem ingressi domum, habi-
tant illic, ut sit ultima illius hominis conditio deterior
prio-

priore. Hos potè observare & circuire, ut quærat, desinit, cum habeat, cum possideat, quod diu desideravit, gratulatur sibi de adepta præda, summo studio in id incumbit, ut hostem & adversarium hoc castello arceat; omnibus adeundi viis, modisq; interceptis; oculis sc. auribus, corde. Oculos excœcando, aures aggravando, cor mentemq; pervertendo, ut videntes non videant, audientes non audiant, & intelligentes non intelligant, traditiq; ἐς ἀδύτου πύρας, oppleti omni injustitiâ & nequitia, referant patrem & rectorem suum Satanam, aversi à Deo conditore & Redemptore suo. Quæris muniendi modum & manus? In ipso homine habet omnia, cum impellente Satana regnat in mortali corpore concupiscentia: cujus imperio membra omnia exhibeat arma iniquitatis Rom. 6. æterno mortis & confusionis tributo; quod victoriæ quodam jure & postulat Satanus. & homo captus persolvit, de bonis quæ tenet, omnibus; promptoq; servitio membrorum, virium, & operum adest ad extruendos Babylonis hujusce muros; quò fortis ille armatus plusquam Goliath illius fastu adversarium Davidem, cū cœlesti Angelorum exercitu contemnens, in pace possideat sua. Pauci bonum certamen certant, cursum consummant, fidem servant, ut repositam justitiæ coronam, vitam puta æternam, nanciscantur. His odio & invidia percitus Satanus bellum infert, cum his studio & fraude incredibili pugnat, nullâ temporum, nullâ locorum morâ interpositâ, circa hos velut leo rugiens obambulat, quærens ut devoret. Si hæc viâ irritò successu remgerit, aliâ aggreditur: ruit de latere in latus, nihil omittens dolii, nihil astus, quo eos sternat; nec unquam cessat; etiam depulsus & expulsus digito Dei, & virtute Promachi nostri Christi Jesu, Ergò, o mei! cum tam difficili, tam formida-

midabili bello distringamur, cumq; nobis decertandum
fit cum hoste fortissimo, vigilantissimo, in perniciem no-
stram jurato ac devoto, non stertendum, non cessandum
nobis est, sed contra arma capienda; induenda tota ar-
matura Dei, ut possimus stare adversus asultus Diaboli.
Ad quam assumendam electum illud Dei organum Apo-
stolus Paulus suos Ephesios & nos omnes seriò hortatur,
cum inquit Ephes. 6. v. 14. & seqq. *Stare igitur lumbis cir-
cumcinctis per veritatem, & induti thorace justitia, & calcea-
ti pedibus, ut parati sitis ad Evangelium pacis, super omnia as-
sumpto scuto fidei, quo possitis omnia jacula mali illius ignita
extinguere &c.* In bellis, quæ proh dolor! in hac ultima
mundi senectâ, plusquam ferinâ rabie geruntur, videmus
& audimus non rarò, quàm alacriter & animose milites,
prædæ promissæ magnitudine allecti, quicquid est labo-
ris exhauriant, vitamque præsentissimo periculo expo-
nant, quò spoliis onusti domum revertantur. Et nos præ-
mio æterno, *quod neq; oculus vidit, neq; auris audivit, neq; in
cor hominis descendit, non accendamus?* Agite! Sequamur
fideliter & constanter Promachum nostrum Christum,
qui ut nos à potestate Satanz liberaret, & in libertatem
filiorum Dei vindicaret, è cœlo descendit ad mortem us-
que & infernû; sobrietate ac vigilantia obambulantia ad-
versario aditum præcludamus, ut tandem omnibus in
Christo feliciter confectis, triumphemus, dicentes: Ab-
sorpta est mors in victoriam! ubi tua, ô mors, victoria?
Deo sit gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum
nostrum Jesum Christum. 1. Cor. 15. Ad hanc victoriæ ob-
tinendæ palmam, ipso vitæ ingressu vocatus à Deo, No-
ster piè Defunctus, Amplissimus & Prudentissimus DN.
CHRISTIANUS von Thienen / Vir Ordinis Senatorii
honoratissim^o, militis Christiani officium strenuè explevit,
usq;


usq; dum inter plurimas adversitatum procellas, ab eodem Deo Opt. Max. è media sacrae hujus militiae statione evocatus, & triumphanti Ecclesiae adscriptus est. Natum cum accepimus ROSTOCHII, Anno millesimo, sexcentesimo, duodecimo d. 8. Martii, ex familia satis honesta & antiqua, patre viro spectatae autoritatis & prudentiae DN. CHRISTIAN. von Thienen / Senatore Rostochiensi itidem optimè merito, Matre MARGARETHA Papsen, Matronâ honestissimâ, & mulieribus virtutibus decoratissimâ, Avus paternus fuit EGIDIUS von Thienen / Civis & Mercator hujus urbis primarius, Avia paterna BARBARA Baten / Avum in materna linea natus est NICOLAUM Papsen, civem apud nos integerrimum, ut & Antistitem S. Aedis Marianae fidelissimum. Aviam maternam habuit Geschen Schlorffs / foeminam laudatissimam. Hisce parentibus prognatus, maturè sacro Baptismatis lavacro ablurus, & mystico Christi corpori insertus fuit. Aetate crescente in pietate, & bonorum morum cultura est educatus, & non exigua tam in schola publ. quam privata informatione fundamenta latini sermonis jecit. Cùm autem naturali quâdam inclinatione ferri videbatur ad negotiationes, decimo quarto aetatis anno consensu Parentum Hamburgum petiit, & hinc in Bataviam & Galliam se contulit, ut mercaturae exercendae operam navaret, & quae suo vitae generi aliquando inservire possent, observaret. Domum reversus An. 1634. mox subsequenti anno d. 22. Aprilis, matrimonio sibi junxit virginem lectissimam & pudicissimam Gerdrui Schnitlers / filiam Johan. Schnitlers / civis emeriti perdilectam, cum qua in tranquillo & foecundo connubio vixit, siquidem ex eadem sex filios & sex filias suscepit, ut *Christianum, Johannem, Christianum, Margaretham, Elisa-*

Elisabetham, Gerdeum, Hinrich, Catharinam, Egidium, Elisabetham, Barbaram, Ex quibus nati majores Christian & Elisabeth, in ipso ætatis flore debitum naturæ persolverunt, ut & filia nata maxima Margaretha, quam ante octiduum ad sepulturæ locum comitati sumus. Reliqui novem adhuc superstites, utroq; parente eheu orbat, præsenesque sunt, excepto unico filio Christiano, qui studiorum gratiâ Lipsiæ degit. Quo pacto Noster piè Defunctus vitam transegerit, omnibus & singulis notum, fuit ea proba ac honesta, ut non solum in numerum Centum-Virorum receptus, & Præfectus arcæ veteris (ut vocant) designatus; sed etiam per prudentiam & virtutem omnibus spectatam Anno 1642. in Amplissimum Senatus Urbici ordinem, electus sit. In quo statu omnia se digna & Reipubi. salutaria gessit, concordiæ ac pacis studiosissimus. Atque utinam vitæ ipsi ac valetudinis usura contigisset diutior firmiorq;, nec toties morbi aliaq; mala domestica publica interpellassent. Siquidem ante quadriennium ex graviore lapsu sanitatis suæ jacturam passus, mox vitæ Sociâ carissimâ privatus, mox ab incendiis subito exortis, ædibus suis & bonis temporalibus extremum exitium imminere, visum est, mox his, mox aliis calamitarum procellis expositus, nihil non mali in vita sua degustavit. His accessit continuus & pertinacissimus morbus, quo cum satis diu conflictatus est. Ad ultimum ante octiduum febris maligna eum corripuit, quam pariter, ut cætera divinitus immissa ad versa, patienter, ut par erat, tulit. Viribus autem paulatim deficientibus, & medicamentorum ope desperatâ, d. 31. Martii inter 6. & 7. vespertinam, postquam Sacrosanctâ Eucharistiâ refectus à Viro pl. Rev. D. Casparo Mauritio, Superint. & Prof. P. Collega nostro honoratissimo, animamque suam in manus Salva.

Salvatoris JESU CHRISTI commendasset, inter preces & lachrymas suorum expiravit, mundoq; huic piissimè & placidissimè valedixit, anno ætatis suæ quadragésimo octavo. Nos liberatæ è corporis carcere animæ statum gratulamur felicissimum, & lætissimam cum potiori illa parte, in die judicii unionem animitus ptecamur. De quâ quidem voluntate nostrâ & amoris debito ut certiores sint mœstissimi liberi, reliq; cognati, *Agite!* Cives academici, frequentes congregemur, & funus hoc honorifico comitatu sequamur.

P. P. sub Sigillo Academiae.

Conventus fiet hora I. in templo.
Mariano.



Elisabetham, Berdrui/ Hinrich/ Cas
sabetham, Barbaram, Ex quibus na
Elisabeth, in iplo ætatis flore debitu
ut & filia nata maxima Margaretha
ad sepulturæ locum comitati sum
huc superstites, utroq; parente ehe
sunt, excepto unico filio Christiano
Lipsiæ degit. Quo pacto Noste
transegerit, omnibus & singulis n
honestâ, ut non solum in numeru
receptus, & Præfectus arcæ veteri
tus; sed etiam per prudentiam
spectatam Anno 1642. in Amplisi
ordinem, electus sit. In quo statu
pubi. salutaria gesit, concordia ac
Atque utinam vitæ ipsi ac valetud
diutior firmiorq; , nec toties morb
ca publica interpellassent. Siqui
um ex graviore lapsu sanitatis suæ
vitæ Sociâ carissimâ privatus, m
exortis, ædibus suis & bonis tempo
tium imminere, visum est, mox hi
rum procellis expositus, nihil non
stavit. His accessit continuus & per
quo cum satis diu conflictatus est.
duum febris maligna eum corripuit
tera divinitus immissa ad versa, pa
lit. Viribus autem paulatim deficie
torum ope desperatâ, d. 31. Marti
nam, postquam Sacrosanctâ Euch
pl. Rev. D. Casparo Mauritio, Sup
lega nostro honoratissimo, anim

idium, Eli
Christian &
solverur,
octiduum
novem ad
esentesque
rum gratiâ
ctus vitam
a proba ac
-Virorum
) designa
i omnibus
tus Urbici
gna & Rei
osissimus.
ontigisset
a domesti
adrienni
assus, mox
diis subitò
mum exi
calamita
sua degu
s morbus,
ante octi
ter, ut cæ
ar erat, ru
dicamen
vesperit
tus à Viro
f. P. Col
in manus
Salya.

